



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

Concilivm Hierosolymitanvm Evsebianorvm In causa Arii restituendi, anno
CCCXXXV. celebratum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

ANNO CHRISTI 335. nimirum erat, quod nos summotos volebant; ne scilicet subornatos ab ipsis criminatores aut ecclesiasticos non esse, aut si essent, Arianos esse doceremus. Scitis autem dilecti fratres, in sacris literis præcipi, non valere inimicorum testimonia. Ceterum a vobis vera dici attestatur manus ipsa Ischyrae, attestantur quoque ipsorum facta, qui nobis nihil istiusmodi criminum consciis, præsidio Philagrii, & armorum terrore ea confecere quæ voluerunt. Hæc ut coram Deo testamur, hæc ut certi de futuro Dei iudicio loquimur. Nostra quidem voluntas fuit hoc excurrendi; sed tamen in eo acquieuimus, ut nonnulli ex nostris istuc venirent cum literis nostrorum, qui hic remanserunt; ut ita eorum vicem absentiamque sustinerent & compensarent. Ingenuus presbyter vos valere in Domino opto, dilecti fratres, Theon presbyter, Ammonius presbyter, Heraclius presbyter, Boccon presbyter, Tryphon presbyter, Petrus presbyter, Hierax presbyter, Serapion presbyter, Marcus presbyter, Pollarion presbyter, Caius presbyter, Dioscorus presbyter, Demetrius presbyter, Thyrsus presbyter. Diaconi, Pistus diaconus, Apollos diaconus, Serras diaconus, Pistus diaconus, Polynicus diaconus, Ammonius diaconus, Maurus diaconus, Ephæstus diaconus, Apollos diaconus, Metopas diaconus, Apollos diaconus, Serapas diaconus, Meliphthongus diaconus, Lucius diaconus, Gregoras diaconus.

CONCILIVM
HIEROSOLYMITANVM
EVSEBIANORVM

^c In causa Arii restituendi, ^d anno CCCXXXV. celebratum.

NOTÆ.

^a Concilium.] Eusebiani persuaserant Constantino Arium de fide orthodoxa recte & catholice sentire. Cum igitur episcopi iidem qui Tyri fuerant ad dedicandam ecclesiam ab imperatore recens erectam conuenissent, vocatum ad se Arium cum sua quam obtulerat fidei confessione ambigua, & in specie catholica, ad episopos Hierosolymis congregato remittit; mandans ut illi confessionem oblatam

Yy iii

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SILVESTER CONCILIVM CONSTANTINVS
P.I. IMP.

§42 examinent, & si Arius recte sentiret ac crederet, probarent, eumque non tantum recipent, sed etiam Alexandrinam ecclesiam & vrbem, a cuius aditu iussu Nicæni Concilii abstinere debebat, ipsi restituerent. Peracta igitur templi dedicatione, cœtuque dimisso, conuenientes Arium, eiusque fidem probant, recipiunt, & Alexandriam restituunt. Quo euentu, infra dicemus in notis ad vitam Marci & Concilii Constantinopolitani. Hæc ex Athanasio apol. 2. & de Synod. & ex epistola synodali huius Conciliabuli huc translatæ. Ex Socrate lib. 1. cap. 9. Sozom. lib. 2. cap. 26.

Qui &
quales epi-
scopi inter-
fuerint.

^b *Eusebianorum.*] Quamquam magni nominis orthodoxi episcopi ad dedicationem basilicæ conuocati fuerint, eique Alexander antistes Thessalonicensis, & Milles Persidis episcopus, & in persecutione ibidem aduersus Christianos excitata martyr, præsto adfuerint; tamen ille Conuentus, quo Arii confessio approbata, ipsiusque restitutio confirmata est, Eusebianorum potius Conciliabulum quam legitima Synodus æstimari debet. Hanc enim rem seorsim ab orthodoxis ipsi soli, vel saltē post catholicorum discessum egerunt. Hoc est quod Athanasius apol. 2. *Nec verentur in dictis suis eos affirmare recte sentire, quos uniuersum orbis Concilium anathemate damnauit: neque timuerunt tam præclarum Syndum, nempe Nicænam, quantum in ipsis est, in angulis demoliri, homines quiduis temere dicentes & facientes.* Dubium igitur non est quin, peracta templi dedicatione, Cœtuque dimisso, ipsi tantum Eusebiani relicti conuenerint, Arii que fidem probarint, ac tum ipsum, tum alios recipiendos esse statuerint. Si enim orthodoxi episcopi simul ea de cauâ coiuissent, aliquis haud dubie catholicus, illam fidei professionem, qua verbum consubstantiale ad Arianam hæresim restaurandam fraudulenter omnissum & suppressum erat, tamquam Nicænae fidei contrariam & inimicam reiccisset, deque vi illata cunctas catholicorum ecclesias monuisset. Cur Eusebius lib. 4. vitæ Constantini cap. 47. hoc Conciliabulum suorum asseclarum tantopere ostentat, illudque Nicæno Concilio fere exæquarit, nemo prudens non intelligit ideo factum, vt Arii confessio hic probata, Arianorum restitutio hic decreta maiorem fidem sibi vendicaret. Vide Baronium anno 335. num.

42. 46. 54. &c.

Causa
Concilia-
buli.

^c *In causa Arii restituendi.*] Alexandrinæ ecclesiæ & vrbi nimis. Qui enim in Concilio Nicæno palinodiam recantauerat, hac conditione receptus fuerat, vt Alexandriam redire non posset, vt constat ex Hieronymo aduersus Luciferianos. Eusebiani eumdem quidem per literas imperatorias reuocare conati sunt; sed Athanasio obnitente, adeoque has omnes turbas ac molitiones in se concitante, frustrati nihil haçtenus obtinuerunt, vt patet ex Athanasio de Synodis, & ex iis quæ infra in notis ad Concilium Constantinopolitanum sub Marco, vbi dicemus, non statim quam ab Eusebianis Arius Hierosolymis receptus fuit, de eiusdem restituzione actum esse, sed tum demum id fuisse tentatum, cum Eusebiani Constantinopolim profecti, noua calumnia excogitata, nouisque testibus adductis, Atha-

NVS
ent, cum-
clesiam &
pebar, ipsi
e dimislo,
, & Ale-
is ad vitam
io apol. 2.
huc trans-
xi episcopi
ander anti-
persecutio-
adfuerint;
siusque re-
lulum quam
n ab ortho-
erunt. Hoc
os affirmare
damnauit:
n, quantum
ntes & fa-
dicatione,
rint, Arii-
os esse sta-
ffissent, ali-
ua verbum
ulenter o-
trariam &
n ecclesias
.hoc Con-
que Nicæ-
rit ideo fa-
tio hic de-
o 335. num.
vrbni nimi-
auerat, hac
posset, vt
ni eudem
Athanaio
concitante,
io de Syno-
opolitanum
s Arius Hie-
esse, sed tum
polim profe-
ctis, Atha-

SILVESTER HIEROSOLYMITANVM. CONSTANTINVS IMP. 543

ANNO
CHRISTI
335.

natus non auditus, imperatoris sententia relegatus fuit. De causa Marcelli episcopi Ancyran in Galatia, & Asterii Cappadocis, quam Socrates lib. 1. cap. 24. hoc Conuentu tractatam, & in Concilio Constantinopolitano repetitam fuisse scribit, ibidem agemus.

^d Anno 335.] Eusebius prædicto loco ait: *Nicenus triumphi nomine vicesimo imperii anno constitutus in urbe Nicæavnum, id est, praecaram de hostibus victoriam reportabat: hic vero Hierosolymitanus tricesimum eius imperii annum (qui est Christi anni 335. vel 336.) decorabat, &c.* Quo tempore habilitum fuerit.

EPISTOLA CONSTANTINI HONORIFICE ARIVM AD SE ACCERSENTIS.

IMDV DVM tuæ grauitati significatum est, vt ad mea castra venires, quo posses nostro aspectu frui: vnde vix satis mirari possumus, cur hoc abs te non exemplo factum fuerit. Iam igitur publico curru consenso, nostra castra adire propera, vt nostram benignitatem & studium erga te expertus, in patriam redire queas. Deus te conferuet, carissime. Data ad quintum Kalendas Decembris.

LIBELLVS FIDEI AB AARIO ET EVZOIO OBLATVS IMPERATORI CONSTANTINO.

*Religiosissimo sanctissimoque domino nostro imperatori Constantino
Arius & Euzoios.*

Nos quidem, sicut singularis tua erga Deum pietas, domine imperator, in mandatis dedit, fidem nostram scriptis prodidimus, & de Deo cum ipsis, tum certi qui nobiscum sunt, ita credere confitemur, vt sequitur:

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in Dominum Iesum Christum Filium eius, ex ipso ante omnia secula genitum Deum Verbum, per quem omnia facta sunt, tum quæ in cælis, tum quæ in terris: qui descendit, & incarnatus est, & passus est, & resurrexit, & ascendit ad cælos, & iterum venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. In carnis resurrectionem. In vitam venturi seculi. In regnum cælorum. In unam catholicam ecclesiam Dei, ab una orbis

terrarum ora ad alteram usque se porrigitem.

Hanc fidem a sacro sanctis euangelis accepimus, ipso
Math. 28. Domino suis discipulis dicente: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Si vero ista non credimus, sicut vniuersa catholica ecclesia & scripturae docent, quibus quidem omnino fidem adhibemus; iudex noster Deus sit in praesentia, & in futuro iudicio. Quapropter tuam pietatem obsecramus, imperator sanctissime, ut quoniam viri ecclesiastici sumus, & sensum tum ecclesie, tum sacrarum literarum tenemus, nos pro tua sanctimonia, qua & pacem conciliat, & Deum auguste veneratur, controversiis omnibus & inanibus argutis sublatis, matri nostrae ecclesiae scilicet adiungas: vti & nos & ecclesia tranquille vitam degentes, inter nos mutuo pro pacato & pio regni tui statu, & pro vniuerso hominum genere omnes communiter consuetas preces peragamus.

EPISTOLA SYNODALIS DE REBUS IN SYNODO GESTIS.

Sancta Synodus Hierosolymis coacta, ecclesiae Dei quae est Alexandriae, & per AEgyptum, Thebaida, Libyam, Pentapolim, reliquisque per orbem episcopis, presbyteris, & diaconis in Domino salutem.

OMNIBVS nobis ex diuersis prouinciis in vnum congregatis ad panegyrin celebrandam pro dedicacione martyrii Saluatoris, quod religiosissimus imperator Deo omnium regi & Christo eius aedificauit; maiorem nobis animorum letitiam, Dei gratia, literae eiusdem religiosissimi imperatoris praebuerunt; quibus nos ad ea quae oportuit instigans omnem inuidiam ab ecclesia Dei expellit, & omne odium procul abigit, per quae Christi membra iampridem dissidebant; auctorique fuit, vt simplici & placido animo reciperemus Arianos, quos aliquamdiu improba inuidentia extra ecclesiam detinuit, & viris istis de rectitudine fidei in literis suis testimonium praebet, quam cum antea fama audiuerat, ipse eamdem ex viua eorum voce cognouit, cognitamque approbavit; eamque rem nobis manifestam reddidit: eo quod literis

ANNO CHRISTI 335. teris suis orthodoxas eorum virorum opiniones scripto comprehensas subiunxerit, quas omnes agnouimus sanas & ecclesiasticas esse. Quapropter iure admonuit, ut viri isti recipierentur, & coadunirentur cum ecclesia Dei, ut vos ex epistolæ eius exemplaribus cognoscetis, quæ nos ad pietatem vestram misimus. Credimusque vobis ipsis, veluti propria membra vestri corporis recuperantibus, magnum ex ea re gaudium latitudine obo rituram, dum ipsis viscera vestra, fratres scilicet & patres agnoscitis & recipitis, non solum presbyteris Arianis, sed vniuerso populo cum omni multitudine vobis restituto, quæ ob causam istorum virorum longo iampridem tempore a vobis dissidebat: decetque vos, cognitis quæ hic acta sunt, quodque viri isti nobiscum communicauerunt, & a tanta sacra Synodo recepti sunt, quam promptissime eos, ut membra ecclesiæ coeant, & in pace sint, consalutare; maxime, quod promulgata & publice edita eorum fides indubitatam & apud omnes approbatam apostolicam traditionem & doctrinam complectatur.

VITA,

ANNO CHRISTI 336. EPISTOLA ET DECRETA
MARCI PAPÆ.

* Facun-
di **M**ARCUS natione Romanus, ex patre Prisco, ^b sedit annos duos, menses octo, dies viginti unum. Fuit autem temporibus Constantini Augsti, & Nepotiani ac ^c Secundi consul, ^d ex die Kalendarum Februariarum, ^e usque in diem Kalendarum Octobris. ^f Hic constituit, ut episcopus Ostiensis, qui consecrat episcopum Vrbis, tunc ^f pallio vteretur, & ab eodem episcopo urbis Romæ consecraretur. Et constitutum de omni ecclesiastico ordine fecit. Hic fecit duas basilicas, unam via Ardeatina, ubi requiescit; & aliam in urbe Roma, iuxta Palatinas. Ex huius suggestione obtulit Constantinus Augustus basilicæ, quam ^g constituit via Ardeatina, fundum rosarum, cum omni agro campestri, præstantem

* come-
terium
confi-
tuit Concil. Tom. 2.

Zzz